

REVEREN· PAVLVS PORTARELLVS

SACERDOS MASSENSIS,

MVTVI CANDIDO LECTORI. S. P. D.



ON medio eis admiratio semper tenuit, candide lector, eruditissimos quoque viros, quondam causa fuerit, quod cum Aristotelem, & Platonem, Philosophie principes, & quasi parentes, antiqui tantopere coluerint, & tanquam duo Numina fuerint venerati, nullus tamen vel græcorum, vel latinorum, corumque doctissimorum virorum felicioribus illis Romanæ eloquentia temporibus fuerit, qui horum sublimia, & diuina monumentaliter latinis donanda curaret, cum sciamus, & Marcum Tullium Platonis fuisse alioquin Studiosis, & Aristotelica nec negligenter, nec leuite, vt ipsemet fatetur, attigisse, & Brutum præterea legimus multos de rebus philosophicis libros emisisse, plures Marcum Varonem, qui Romanorum longe doctissimum, teste Augustino, est habitus, vt ceteros, qui non pauci possunt connumerari, nunc præteream. Sic equidem nemo ferè est hac nostra tempestate, qui non admittetur, & conqueratur simul Ioannem Capri Tholosanum in omni scientiarum genere eruditissimum, & in Scholasticâ disciplina, quam Thomas Aquinas diuinitus fuit aescutus, quād maximè verfatum, **menio** inquam est, qui hunc & Platonem, & Aristotelem, reliquosq; eminentissimos philosophos, & Theologos excellere, & superare dabit. Illi enim quæ natura docuit, nobis reliquerunt, hic autem non tantum, quæ ad naturæ rationem, aut morum disciplinam, sed quæ nemo Principum huius seculi, vt Paulus ait, indagare potuit, & opinionum varietate, & differendi subtilitate, & vbertate orationis, & rerum omnium, exquisita, graui, & exacta pertractione singula ita proflus possefecit, ac refererat, vt nemo aliud melius. Verum prohdolor cum in tenebris, & perpetua quasi obliuione iaceret, non erat qui tantum Theologia lu men cōspiceret, & admiraretur, cum subito diuine ecce numine factum est, reor, vt emerget Matthias Iuonus Aquarius non solum in Academia nostra Neapolitana nunc Regius, & publicus Metaphysicus, verum in alijs quoque Italica gymnasij & Taurini, & in vrbe Ronia per multos annos ordinarius, vt nunc dicunt, Theologæ Cathredaticus, vir & vite probitate, & religionis ardore nulli religiosorum secundus: cuius laudes non est huius loci, optime lector, recensere, tanti enim virti nomine, cum vbiique sit celebre, & honori habitu ob scripta, que in dialepticam facultatem, naturalem philosophiam, Scholasticam Theologiam, & in diuinam scripturam edidit, non eget nostris laudum ornamentijs, & præconijs, quæ non possunt nisi exigua esse, si illius merita pensentur. Hic inquam Dominicanus ordinis splendor in commune omnium studiorum utilitatem post diuturnos labores cum non semel, atque iterum, sed sapienter ipsum totum ipsum Ioannem Capreolum legisset, & periuoluta fasset, vidissetque quād graui, varia, subtili, splendida, & eminenti doctrina ille fulgeret, & quantum emolumentum Theologiae professoribus afferre posset, opus ipsum multis modis ornandum curauit. In primis enim uero ipsius Authoris verba ab innumeris fecerunt, quibus ante se cœbat, mendis, & erroribus vindicauit, vt in offenso postmodum pede ab omnibus legeretur tam multa inutilia ex industria fustulit, ac detraxit, quād plurima ad rem facientia ex sua doctrina penitus addidit, magna ex parte opus auxit, & amplificauit, deinde singulorum Authorum nomina in margine diligenter prenotauit, nonnullas pugnantes inter se opinions perbellic conciliavit, conclusiones ad naturalem philosophiam spectantes philosophorum authoritatibus communivit, Divinas vero, tam sacrarum literarum, quam Conciliorum, & Sanctorum Patrum testimonij, fideliter confirmauit, controversias fermè omnes inter Sanctum Thomam, & alios philosophos, & Theologos per ordinem vbiique annotauit, obscuriora quoque loca illustravit, denique quantum in toto hoc opere elaborauerit, quisq; vel mediocriter eruditus facile iudicium ferre poterit, nouum certè & alia facie nunc legentibus apparebit: Ita vt neminem mouere debeat, insignes olim viros Paulum Soncinatum, Isidorum de Insolani, Siluestrum Prieratem ita subtiliter, diligenter, de hac re disseruise, vt Aquarij nostri labores superuacanei esse videantur. Nam si quis accurate inspicerit, huius virti scripta ad alium longè scopum tendere animaduertet. Illi enim omnes in breuem quandam formam, & methodum redigere conati sunt, quia Ioannes Capreolus pro defendenda D. Thomæ doctrina in quatuor sententiarum libris latius, & copiosius explicauit. Hic autem ea omnia, qua paulo antè quād breuisime recensuimus, præstare studuit. Itaque nunc Capreolus illustratus, explicatus, amplificatus, & yndique perfectus esse videtur, nihilque ad eius ornamentum, & ab solutam perfectionem addi posse putabit, qui ipsum totum per diligenter leget, atque ex pendet. Accipe igitur, candide lector, Aquarij vigilias per plures annos tam bene in sacre Theologia doctrina illustranda colloccatas, eisq; libenter vtere, & suauiter fruere, an etoremq; ipsum cole, & obserua, dignus est enim aeternis honorum cumulis, nec illi vñquam ab ullo gratia dignæ referri possunt, speramus tot tantosq; labores non solum tibi, & studiosis omnibus, sed Sixto in primis Quinto Pontifici Maximo, qui semper sacram Theologiam mirifice coluit, & cui illi consecrati sunt, futuros quād gratissimos.

Vale Neap. Idibus Ian. 1588.